

diversitatis dicitur necessarium esse, ad confirmanda beneficia in forma communi, in tenore confirmationis, addere verba illa, *sicut juste et pacifice possidentur*, sed dicitur hunc esse sensum confirmationis in forma communi. Ex quo tandem concluditur confirmationem privilegii datam per verbum confirmandi purum, sine narratione facti, et sine aliquo alio signo alterutram partem indicante, censendam esse in forma communi. Quæ est communior sententia juristarum, ut videre licet in Tuscho, tom. 2, lit. C., concl. 708, n. 10 et sequentibus. Et censeo esse verum non solum in privilegiis contra jus (licet in illis sit multo certius magisque receptum), sed etiam in cæteris. Ratio generalis est, quia, licet beneficium principis sit late interpretandum, non tamen ultra proprietatem verborum; sed verbum confirmandi pure prolatum non est verbum donandi, nec faciendi aliquid de novo simpliciter, sed tantum approbandi quod factum est, ut aperte supponitur in cap. *Inter*, de Fide instr., § *Cæterum*, et § *Cum igitur*; ergo non plus operatur verbum illud per se sumpsum, etiamsi illud late interpretari velimus; sed in hac significatione tantum continet confirmationem in forma communi; ergo. Et hoc magis ex sequentibus patebit.

8. *Confirmatio privilegii in forma communi nullum jus novum confert, nec dat valorem privilegio si erat invalidum.*—His ergo suppositis, duæ sunt communes regulæ. Prior est, confirmatio privilegii in forma communi nullum jus novum confert, nec dat valorem privilegio, si erat invalidum, et ita non potest dici concessio privilegii, sed pura roboratio. Hæc regula communiter traditur in cap. *Quia diversitatis*, de Concession. præbend., et ex illo textu colligitur, ut dixi; sumitur etiam ex dicto cap. *Examinata*, et ex cap. 1 de Concession. præbend., ubi dicitur, confirmationem rei litigiosæ non impedire processum in lite, quod omnes intelligunt de confirmatione in forma communi: nam secus esset in confirmatione ex certa scientia. Item ex c. *Dudum*; in fine, de Decim. Fateor tamen hæc jura loqui de privilegiis quæ juri communi vel alterius derogant. Ratio autem universalis est supra tacta, quia confirmare non est de novo facere, sed roborare factum; confirmatio autem in forma communi solum significat in principe animum confirmandi, ut dictum est: ergo nec valorem, nec jus confert de novo ex vi talis confirmationis. Et ita intelligunt prædicta jura Innoc., et Imol., et Anton. de Bu-

trio in dict. cap. *Dudum*; tradit etiam Baldus in Feud., tit. Per quos fiat invest., cap. 1, n. 1; Felin. in cap. *Inter dilectos*, de Fide instr., n. 13 et seq., ubi etiam Panorm. Idem Felin., in cap. *Cum venisset*, de Testib., n. 2; Dec. in rubr. de Confirmat. util. vel inutil., dub. ultim., qui optime confirmat omnia quæ diximus.

9. *Quid conferat confirmatio in forma communi.*—Interrogabis quid conferat talis confirmatio in forma communi? Glossæ et doctores allegati fere dicunt parum conferre, quandoquidem non dat novum jus nec valorem actui. Dico tamen, si hæc confirmatio cadat in materiam incapacem seu actum nullum, nihil conferre, neque hoc esse inconveniens, imo esse juxta intentionem concedentis; ideo enim sub tacita vel expressa conditione confirmat, ut, si conditio non substiterit, nihil faciat. Si autem confirmatio cadat super actum confirmabilem, non parum confert. Ad quod explicandum, distincte loquendum est diverso modo de confirmatione facta a superiore, et ab eodem, vel æquali. Ab inferiori enim dari non potest, ut constat, quia non habet potestatem circa actum superioris. Poterit quidem inferior acceptare privilegium alteri datum a suo superiore, quod sibi aliquo modo præjudicare videatur, quæ acceptatio indirecte poterit in confirmationem privilegii redundare, quatenus acceptans post acceptationem non potest privilegium oppugnare, tamen illa non est propria et directa confirmatio, ut per se constat.

10. Si ergo hæc confirmatio a superiori detur, et actus sit confirmabilis, multum valet, ut colligitur ex cap. 1 de Confirmatione utili, etc. Nam contra possessionem pacificam a Papa confirmatam, non potest inferior judex sententiam ferre sine Papæ mandato, quæ est magna utilitas, si tamen vera est. Nam communiter ille textus exponitur quoad illam partem de confirmatione ex certa scientia, ut per Glossam et alios interpretes. Quæ sententia, licet communis, apud me non caret difficultate. Nam prior pars textus, in qua dicitur confirmationem rei litigiosæ non impedire processum litis apud inferiores judices, ab omnibus intelligitur de confirmatione in forma communi: ergo de eadem est intelligenda altera pars, quia est idem modus loquendi in utraque, et quia alias non est debita consecutio in littera textus. Sed nihilominus communis opinio contra hanc expositionem, et consequenter contra hanc utilitatem

talis confirmationis prævaluit. Generalis ergo utilitas solum est robor auctoritatis quod additur privilegio, juxta principium legis 1, c. de Veter. jur. enucleando, dicentis superiorem id facere suum quod auctoritate sua confirmat. Quamvis enim hæc regula soleat explicari (et bene) de confirmatione ex certa scientia, de qua aperte loquitur cap. *Si apostolica*, de Præbend., in 6, et cap. 1 de Transact., ut utroque loco Glossa exponit, nihilominus suo modo etiam potest extendi ad confirmationem in forma communi, quando cadit in materiam habilem, et suum effectum sortitur: nam tunc jam res illa non solum inferioris, sed etiam superioris, vel Papæ confirmantis auctoritate subsistit, et ita efficit illam suam.

11. Quando vero eadem persona est quæ concessit prius privilegium, et postea illud confirmat, duobus modis potest id accidere. Unus est, ut pro illis diversis temporibus talis persona sibi sit inæqualis in dignitate, ut in casu quem tractat Bartol., cons. 196, de Cardinali Legato, qui privilegium concessit cuidam civitati, quod postea factus Pontifex confirmavit; et tunc ait Bartolus illam confirmationem habere vim et efficaciam privilegii ex certa scientia, quia confirmans non ignorat factum suum. Quod est valde probabile, quando ex ipso instrumento confirmationis constat ipsummet confirmantem existentem in minoribus concessisse illud privilegium, et confirmare illud tanquam a se factum, et sufficienter memoria retentum. Alias non videtur excedere gradum confirmationis in forma communi, juxta doctrinam communem supra traditam. Nihilominus tamen proderit illa confirmatio tanquam a superiore data, si cadat in materiam habilem, quia formaliter loquendo, revera est a superiore, et identitas personæ ibi materialiter se habet. Alio modo potest concedens et confirmans esse idem in persona et dignitate, et tunc non video quid addat confirmatio in forma communi supra concessionem, quia nec jus, nec valorem, nec auctoritatem addit. Quoad nos vero addere potest certitudinem quamdam de voluntate concedentis, et præsumptionem majorem de adhibita diligentia et consideratione in concessionem privilegii. Et fere hoc idem dicendum est de confirmatione facta ab æquali successore, et cum majori exaggeratione; nam hic intercedit plurium personarum consensus, et personalis auctoritas, quæ confert ut plus timeatur quod ita confirmatum est, ut ait

Glossa in capite ultimo de Confirmat. utili, argumento cap. *Quamquam*, 23 distinct., ubi id etiam notat Glossa, et præsertim hæc confirmatio per successorem, securiorem reddit privilegiatum, quod non sint ab eo privilegia revocanda, sed potius conservanda et defendenda tanquam sua.

12. *Confirmatio privilegii ex certa scientia habet vim novam concessionis, et confirmandi actum alias nullum.*—Secunda regula principalis est: confirmatio privilegii ex certa scientia habet vim novæ concessionis talis privilegii. Ita Glossa in dicto cap. *Quia diversitatem*, et in dicto capite primo de Transactionibus, Innocent. ibi, et Bartolus, Panormitanus, Decius, Felinus, et alii supra allegati, et cæteri quos ipsi allegant, et plures refert Tuschus verb. *Confirmatio ex certa*, per totum. Sumiturque ex capite primo, et cap. *Veniens*, de Transact., cap. 2 de Pactis. Ratio vero est, quia confirmatio ex certa scientia habet vim confirmandi actum nullum, reddendo illum de invalido validum; ergo habet vim concessionis privilegii. Consequentia patet, quia validare actum seu privilegium quod antea erat nullum, plane idem est quod denuo illud concedere. Antecedens autem probatur, quia quando princeps confirmat actum, non ficit aut vane, sed vere et solide vult confirmare; ergo vult confirmare actum juxta capacitatem ejus; ergo si ex certa scientia procedit, ita vult illud confirmare, sicut revera est confirmabilis; unde si est nullus, et princeps cognovit esse nullum, et nihilominus confirmat, manifeste vult illi dare valorem et firmitatem, quia alias frustratoria et ficta esset confirmatio. Ita vero procedit princeps quando ex certa scientia confirmat; ergo illa confirmatio habet vim validandi actum, ac subinde concessionem æquivalet, vel reipsa est concessio, licet verbum sit confirmandi, ut expresse notat Decius in dicta rubrica de Confirmatione utili, numero 1, in fine, ex Bart., Imol., Panormit. et aliis.

13. *Obviatur objectionum.*—Neque mirandum est quod verbum videatur ampliari cum improprietas; tum quia non est tanta improprietas, quin habeat etiam fundamentum in usu et in materia subjecta: nam illa confirmatio ex certa scientia, etiamsi possit et de se sufficiat dare valorem actui nullo, non tamen semper id efficit, quia non semper supponit nullitatem in actu, sed ad majorem cautelam, et certitudinem ita conceditur, sive actus confirmatus fuerit validus, sive non; et ideo talis

gratia merito confirmatio dicitur, quia et potest supponere concessionem validam, et semper supponit saltem externam concessionem, quæ substantialiter (ut sic dicam) confirmari valeat, si substantialem habuit defectum; sicut etiam dicitur ratificari professio, vel matrimonium factum cum impedimento irritante, per iterationem consensuum post ablatum impedimentum; tum etiam quia, in præsentis casu, ratio et jus cogit ad talem verbi interpretationem, ne dispositio principis ex certa scientia fiat illusoria et irrationabilis, quod in legibus vitandum est, et consequenter etiam in privilegiis, maxime cum fiunt ex certa scientia.

14. *Limitatio Alexandri et Tuschi scrupulosa nimis.* — Atque hinc aliqui ex juristis, præsertim Alexander, quem sequitur Tuschus, dicunt duas esse condiciones necessarias ut hæc assertio procedat. Una est, quod confirmatio proferatur ex certa scientia; alia, quod revera in principe præcedat cognitio defectus et nullitatis prioris privilegii, quia si non præcedit hæc cognitio, non potest subsequi voluntas efficax validandi illud, nec privilegium in re ipsa erit ex certa scientia, sed nomine tantum. Sed hoc scrupulosum est, reddit enim incertas omnes hujusmodi confirmationes. Quis enim novit an princeps exacte examinaverit valorem prioris actus, vel, licet præcesserit examen, unde constare poterit an intellexerit princeps nullitatem? Et ideo alii auctores illa non distinguunt; sed, eo ipso quod privilegium recitat ex certa scientia aliquo ex modis supra dictis, censetur habere illam efficaciam, quia et præsumitur princeps habere scientiam, quam profitetur, vel licet illam forte non habeat, censetur habere voluntatem confirmandi actum, sicut indiget; hæc enim voluntas confusa haberi potest sine cognitione rei prout in se est, et sufficit ad conferendum valorem actui, si in se fuit nullus, etiamsi ignoretur. Sic enim dubitans de professionis valore, ratificat illam per novum consensum, et potest dici ratificare ex certa scientia, non quia cognoscat esse nullam, sed quia non cognoscit fuisse validam, et nihilominus absolute nunc vult illam de novo facere, si necesse sit. Sic enim hæc confirmatio, licet sit ex voluntate absoluta revalidandi privilegium quando cognoscitur nullitas præcedens, potest esse conditionata, quando res ignoratur vel est dubia, scilicet, *volo confirmando de novo concedere, si indiges*, quæ voluntas efficacissima est, si in re præcessit defectus, sicut patet

in absolute data sub conditione, *in quantum possum, et indiges*, et in rebaptizatione sub conditione, et similibus. Ita ergo censeo esse intepretandam hanc confirmationem ex certa scientia, ut ad illam sufficiat professio (ut sic dicam) principis confirmandi tali modo, cum vera et efficaci voluntate illi proportionata, sive cognitio nullitatis in re ipsa præexistat in persona et intellectu confirmantis, sive non.

15. *Nunquam princeps confirmat ex certa scientia, nisi illud quod a principio concedere potest.* — Hinc vero sequitur, ad hujusmodi effectum, et ut locum habeat dicta regula, necessarium esse ut actus confirmandus talis sit, ut possit sola voluntate et facultate confirmantis fieri: nam si actus ille pendeat ex consensu alterius, non poterit per solam confirmationem principis ex nullo fieri validus, quantumvis ex certa scientia procedat. Patet, quia ex certa scientia solum colligimus voluntatem principis; voluntas autem principis, quantumvis absoluta, non excedit in efficacia potestatem principis; unde non potest consensus alienæ voluntatis supplere, nec naturalia impedimenta vel inhabilitates tollere; et ideo non potest Pontifex per suam confirmationem solam ratum facere matrimonium nullum, vel professionem; sed poterit tollere impedimenta annullantia de jure humano, ut per consensus novos ratificetur actus; tamen, quia, in materia privilegiorum, actus talis est ut ad illum efficiendum voluntas principis sufficiat, quia princeps est propria causa efficiens privilegii, ut supra visum est, ideo indistincte procedit regula, quod confirmatio ex certa scientia æquivalet concessioni privilegii. Nunquam enim princeps confirmat ex certa scientia privilegium, nisi quando posset illud a principio concedere, et hoc est per se necessarium et intentum in tali confirmatione. Quod si aliquando confirmatio ex temeritate excedat potestatem, id est accidentarium, et non mutat naturam actus; nam etiam concessio privilegii potest interdum esse temeraria et excedere potestatem, et nihilominus absolute verum est privilegii concessionem dare jus, quia intelligitur de legitima concessionem; idem ergo est servata proportione de confirmatione ex certa scientia.

16. *De aliquibus restrictionibus confirmationum solitis addi.* — Præterea, ut hæc confirmatio talem effectum consequatur, oportet ut simpliciter detur, et nihil addatur quod repugnet revalidationi actus nullius, seu concessio-

ni novæ privilegii amissi. Hoc adverte propter quædam indulta pontificia, in quibus confirmantur ex certa scientia privilegia, non tamen absolute, sed cum addito aliquo quod potest ita restringere confirmationem, ut, licet sit ex certa scientia, non confirmet privilegium, si in eo non impletur conditio. Talia censentur illa verba *prout sunt in usu*, quæ aliqui Pontifices addiderunt confirmando privilegia aliquarum religionum, ut Gregorius XIII confirmando privilegia Minorum, in Bulla *Ex benigna*, ann. 1775, et in alia confirmatione religioni Jesuitarum concessa, et in alia pro religionem Clericorum qui vocantur ministri infirmorum, et Sixtus V confirmando privilegia Cisterciensium; quæ refert Emman. Rod. dicta quæst. 8, art. 1, et in art. 2 interpretatur, per illam restrictionem, significari Pontificem velle confirmare privilegia quæ sunt in viridi observantia suumque valorem retinent, non autem illa quæ invalida sunt. Sed non videtur hoc universaliter intelligendum de omni nullitate, sed de illa quæ per non usum, vel per contrarium usum inducta est, aut etiam e converso de quacumque abrogatione vel revocatione, ratione cujus talia privilegia jam non sunt in usu. Quia hoc in rigore ac præcise significant illa verba *prout sunt in usu*, et amplianda non sunt, cum restringant beneficium principis. Atque ita videtur exponere similem particulam referens plures alios Mand., in dicto tract. de Privileg. ad instar, Gloss. 15, in princ.

17. *Idem judicium ferendum est de similibus limitationibus, qualis est illa Gregor. XIII confirmandis privilegia Clericorum, qui dicuntur ministri infirmorum, cum illo addito: Dummodo sub nullis revocationibus non sint comprehensa.* Item illa Leonis X confirmandis privilegia Minorum: *Prout in libris ordinum reperiuntur*, supplement., concess. 491. Nam quæ in illis non reperiuntur, non intelliguntur ibi confirmata, nisi alias sint authentica per Bullas, aut alia publica instrumenta, nam hæc non excluduntur. Illa enim verba, licet restringant ad privilegia scripta, ad ampliandum nihilominus posita sunt, ut inter scripta comprehendantur quæ in libris ordinis inveniuntur. Denique alia limitatio usitata post Concilium Tridentinum in confirmationibus privilegiorum esse solet: *Dummodo Concilio Tridentino non sint contraria*, et patet ex Bullis Gregorii XIII supra citatis, et ex Bulla Sixti V anni 1587, *Et si mendicantium*, in qua confirmat Minorum privilegia ex certa scientia, et cum illa limitatione, quæ est conformis re-

vocationi privilegiorum regularium repugnantium Concilio Tridentino, factæ a Pio IV in Bulla anni 1565, quæ incipit: *In Principis Apostolorum, etc.*, de qua revocatione in proprio tract. de Rel., Deo dante, dicitur.

18. *Probabile esse non omnia quæ sunt Concilio Tridentino contraria esse revocata, sed ea tantum quæ expresse revocantur a Concilio per clausulam Non obstantibus, etc.* — Nunc solum adverte aliud censei posse quod privilegia sint contraria Concilio Tridentino, aliud vero quod sint per illud revocata. Probabile enim est non omnia quæ illi sunt contraria, esse per illud revocata, sed illa tantum quæ expresse revocantur a Concilio per clausulam, *Non obstantibus, etc.* Et propterea fortasse interdum illa clausula additur, interdum non additur, ut patet ex sess. 23, cap. 8 de Reformation., et sess. 24, cap. 11; et sæpe alias, et infra generaliter dicitur. Hinc ergo conjectatur Emman. Roder., dicta quæst. 8, art. 6, clausulam illam, *Dummodo Concilio Tridentino non sint contraria*, intelligendam esse tantum de privilegiis revocatis a Concilio. Sed contrarium videri potest, tum quia, ut dixi, diversa sunt esse revocata et esse contraria, et in diversis non fit interpretatio unius pro alio; tum etiam quia sumus in materia odiosa: nam privilegium contrarium Concilio odiosum est, et ideo illa verba quæ repugnant huic odio, in omni proprietate et rigurosa amplitudine intelligenda sunt; tum denique etiam quia talia privilegia, licet non sint revocata per Concilium, videntur revocata per Pium IV, cui plane sequentes Pontifices in prædicta restrictione conformari voluerunt. Sed nihilominus valde probabilis est illa expositio: nam, ut infra dicam, probabilis est Pium IV solum revocasse privilegia contraria illis decretis Concilii in quibus ipsum Concilium noluit privilegia contra illa valere: unde hæc tantum reputantur simpliciter contraria Concilio, nam ubi illud non revocat privilegia, tacite illa admittit, et ita non sunt illi contraria. Quod si hoc verum est, clare constat in eodem sensu esse dictam clausulam intelligendam. Sed hoc accuratius examinabitur infra tractando de revocatione privilegiorum.

CAPUT XIX.

NONNULLA DUBIA CIRCA CONFIRMATIONEM PRIVILEGIORUM EXPEDIUNTUR.

1. *Primum dubium.* — Nonnulla vero supersunt explicanda dubia circa hanc confirmatio-